DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES RYAN,

Hibernus.

"Homines ad Deos nulla in re propius accedunt quam salutem homini-
"bus dando." CICERO.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

JACOBO GULIELMO CUSACK, M.D.

COLLEGII REGII CHIRURGORUM IN HIBERNIA,

SOCIO, CENSORI, ET BIBLIOTHECARIO;

NOSOCOMII PRO MENTE LABORANTIBUS

APUD EBLANAM (SWIFT'S VULGO NUNCUPATI) CHIRURGO;

NECNON VALETUDINARII DOCTORIS STEEVENS IN EADEM URBE

E CHIRURGIS UNI;

DISPUTATIONEM SEQUENTEM,

IN TESTIMONIUM ANIMI OB PERMULTA ET MAXIMA

NUNQUAM OBLIVISCENDA BENEFICIA,

TUM PRÆCEPTORIS CONSILIA, TUM AMICI OFFICIA DEVINCTI,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

D. D. C.QUE

DISCIPULUS QUONDAM

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

JOANNE RYAN Auctore.

"Edidi quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiæ coëgerunt."
CICERO.

DEFINITIO.

MORBUS de quo, Almæ hujus Academiæ statutis obtemperans, disserere statui, a CULLENO, nosologo illo celeberrimo, sic definitur:

"Pyrexia contagiosa; dejectiones frequentes, mucosæ vel sanguinolentæ; retentis plerumque fæcibus alvinis; tormina; tenesmus."

HISTORIA MORBI.

ÆGROTANS sæpe solitis pyrexiæ signis urgetur; languore, scilicet, et lassitudine, anorexia, horrore, et adaucto corporis calore. Nausea et vomitus præcipue biliosus, cephalalgia, lumborum dorsique dolor, et sitis magna, cum sapore oris amaro, anhelituque fœtido, subsequuntur.

Lingua crusta albescente sordet. Vultus pallidus et hebes, cadaveris speciem exhibet; arteriarum pulsus haud multum variant; ineunte enim morbo, vix præter naturæ modum accelerantur, morbo autem in pejus decurrente, exigui atque abnormes fiunt.

Tenesmus molestissimus cum torminibus sævis et sæpe ani prolapsu ægrum continuo exercent, qui, inani desidendi cupiditate miserrime vexatus, alvum frustra dejicere conatur.

ZIMMERMAN dicit se dysentericos vidisse et sanasse, qui brevi unius diei spatio, centum et quinquaginta, ducentas etiam habuerunt dejectiones.

Fæces dejectæ speciem longe diversam in diversis morbi stadiis exhibent: modo enim striis

sanguineis intertinctæ sunt, alias ad instar loturæ carnis apparent, dum nonnunquam etiam cruor sincerus magna copia dejicitur. Hoc egomet ipse multoties vidi, et idem antiquitus notavit CELSUS *.

Hunc autem effectum summo cum studio perpendere debet medicus, quia ubi morbi eventum prædicere urgetur, ut sæpe fieri solet, permagni est momenti notare ex qua intestinorum parte profluit sanguis. Si color sit ei purpureus, et aliis alvi portionibus intermixtus, concludere licet ex superiore intestinorum parte eum evadere. Sin autem coloris sit rutili, et ab aliis dejectionum portionibus omnino sejunctus, ab ano qui fuerit tenesmo laceratus probabiliter discedit. Nec raro quoque moleculæ albæ pus concretum vel materiam adiposam referentes, egeruntur, et particulæ membranaceæ abrasis internis intestinorum tunicis haud absimiles, cum dejectionibus purulentis et sanguineis, fœtorem vix tolerandum in provectiore præsertim morbi gradu circa se undique spargentes, excernuntur.

* CELSUS, De Medicina, Lib. iv. cap. 15.

Fæces raro naturales, nec nisi scybalarum forma dejiciuntur, et urinæ status variis morbi exemplis admodum variat: modo enim coloris est rubicundi, et parva excernitur copia, nunc nigra et interdum coloris expers est, sæpe etiam omnino supprimitur.

Lumbrici teretes aliquando per anum, et nonnunquam etiam per os vomitu ejiciuntur. Hos quando existunt quam citissime conficere oportet, quia intestinorum tunicas irritando, magnum plerumque ibi inducunt inflammationis gradum.

Cibi appetentia plerumque deficit, sitisque perpetuo urget; et si plus solito calidior fuerit tempestas, sudor viscidus gelidusque in facie et pectore valde notabilis oboritur.

Incerta admodum est morbi duratio: paucis interdum diebus exitus faustus evadit. Si vero remediis adversans succumbere negat, in statum chronicum cito degenerat, et per plurimas septimanas producitur, lethalis tandem evasurus.

Quanquam pleraque symptomatum quæ huic morbo sunt propria, ea, qua potui, diligentia accurate notavi, existunt tamen in forma ejus graviori multa alia enumeratis violentiora.

Adest delirium, fauces aphthis obducuntur, vultus collapsus est, et lineamenta oris omnino mutata. Fæces et urina inconscio ægro excernuntur. Singultus nascitur, et oculi materia vitro haud absimili obteguntur. Abdomen tumidum, durum et tactui tensum apparet. Pulsus exilis est et intermittens. Morbo ad extrema sic properanti, subsultus tendinum et nonnunquam convulsiones superveniunt. Dolores et tormina cito cessant. Frigescunt extremitates, et mors demum amicissima ægrum miserrimum vita simul et perplurimis malis eripit.

CAUSÆ MORBI.

Quænam sint hujusce morbi causæ, diu permultum et acerrime inter medicos disputatum est. Ab his autem contagio semper, ab illis nunquam causa habebatur, dum alii medium tendentes iter et longa experientia edocti, morbum nunc a contagione oriri, nunc eadem prorsus vacare, ut crederent adducti sunt. Sic cum corporis vires vigent atque valent, cumque accessus est levis, innocuus plerumque existit morbus; contra vero

cum signa oriuntur typho conjuncta, cum ulceratur alvus et pus cum fæcibus dejicitur fœtidissimum, tunc satis manifesta apparebit contagiosa ejus natura. Ex his enim dejectionibus noxia generantur effluvia, quæ aërem corrumpendo, et sese per eundem diffundendo, corpora inficiunt nostra* morbumque inducunt haud multum ei absimilem a quo primo generata sunt. Mihi autem præ cæteris placet opinio CULLENI, et ad eam confirmandam multa haud desunt exempla ex operibus HILDANI, HEBERDENI, et multorum aliorum scriptorum scientia medica haud minus insignium, excerpta. Ad propositum meum sufficiet pauca solummodo seligere, et ea in medium proferre.

FABRICIUS HILDANUS, sanos monet ne excrementis dysentericorum adstarent. Hæc enim, inquit, pestiferam emittunt exhalationem quæ modo quodam incognito intestina afficiunt. Affirmat insuper Doctor JAMES, se Dysenteriam bis expertum esse e visu dejectionum ægri hoc morbo laborantis; et ZIMMERMAN dicit, morbum ex rebus excretis oriri, et ex his præcipue causis valde lethalem evadere.

---

* Sir J. PRINGLE on Dysentery.

Degnerus, de Dysenteria Biliosa disserens, dicit militem in quodam urbis Nimeguen vico habitantem Dysenteria correptum esse, et morbum exinde gradu tardissimo vagantem, primo ad vicinos vicos, deinde ad omnen civitatis partem, et brevi unius mensis spatio per vicinos pagos longe lateque sese diffudisse. Zimmerman quoque mentionem habet de muliere parturiente quæ eodem tempore Dysenteria laborabat, et cujus infans statim cum spiritu incepto morbo afficiebatur. Tissot etiam de familiis diversis ægrotantibus refert unum e singulis contagioni subjectum morbum intulisse, et Pringle celeb. cujus testimonio maxima adhibenda est fides, idem comprobat.

Quamvis exempla hic allata, contagiosam morbi naturam omnino extra dubium mihi ponere videantur, bene tamen scio, multos haud deesse nec insignes scriptores quibus opinio est, neque contagionem, neque ullas quæ contagionem generant res, inter causas ejus excitantes ullatenus recenseri debere ; et ad hoc comprobandum varia adducunt exempla, in quibus frigus corpori debilitato et calefacto subito illatum, perspiratio repressa, tempestates pluviosæ torridas excipientes,

quædam aëris constitutio, et varia in ventriculum ingesta, morbum ex semetipsis inducere sufficiebant. Sed de his opinionibus, tam inter se contrariis, et fide quam eis vel adhibere vel denegare debemus, neque propositum est meum, neque si fuerit, limites hujusce tractatus permittunt, nunc sigillatim disserere.

DIAGNOSIS.

Morbi cum quibus Dysenteria plerumque confundi solet, sunt Diarrhœa, Colica, Enteritis erythematica, et Cholera: Signis autem rite perpensis ab his facile dignosci potest.

Dysenteria contagiosa est, *Diarrhœa* non est. In Dysenteria, pyrexia ab initio ægrotantem continuo lacessit, non ita autem ab initio diarrhœa laborantem. Si autem diarrhœæ curriculo supervenerit pyrexia, symptomatica habenda est. In Dysenteria, dolor imo ventre fixus, et tenesmus perpetuo urgent; dejectiones parcæ sunt vel nullæ, mucosæ, et sanguine intertinctæ. In diarrhœa autem dolor vagus totum percurrit intestinorum canalem, neque febris adest, neque ple-

rumque tenesmus, dejectiones sunt copiosæ, alvinæ et frequentes, et fœtore illo intolerabile carent, Dysenteriæ proprio.

Alvus *Colica* laborantium pertinaciter adstricta est: in Dysenteria autem e contrario dejectiones abundant.

Absentia tenesmi et contagii, copiosa fæcum dejectio, dolor circa umbilicum torquens et urens, tactusque impatientia, *Enteritidem erythematicam* a Dysenteria satis manifeste distinguunt.

Inter hunc morbum autem et *Choleram* haud ita facile est diagnosin perfectam instituere. Signa enim quæ unum insigniunt alteri, in regionibus præsertim calidis, communia quoque sunt. Vomitus autem et evacuationes bili præcipue non sanguine refertæ, pyrexiæ et tenesmi absentia, surarum spasmus, rapidusque ad exitum lethalem cursus, sufficient, ut opinor, choleram ab hoc morbo dignoscere.

PROGNOSIS.

Talis est hujusce morbi natura, ut semper fere et in omni casu de exitu ejus infausto sit

medico metuendum; ætatem attamen ægrotantium, corporis eorum habitum, anni tempestatem, signorum numerum, varietatem, atque violentiam rite perpendendo, quid sit metuendum, quid vero sperandum certius dijudicare possumus. Si constitutione ægri valida, viribusque nullo prægresso morbo fractis, medicus idonea adhibuerit remedia; si pyrexia sit levis, morbus recens, et dejectiones, etsi copiosæ, sine molestia; si nausea vomitusque non admodum urgeant; et diminuta ventriculi irritabilitate redeat appetitus, lenisque et universa corpus madefaciat perspiratio, somnusque subrepat recreans; imprimis vero si signa febrilia omnia remediis rite cedere videantur, tunc felix prædicitur morbi eventus. Sin autem urgeant symptomata, febris typhoides, dejectiones fœtidæ, pulsus debilis et intermittens, petechiæ, vibices atque singultus adsint; si hisce etiam addantur extrema frigida, sudores gelidi et colliquantes, dolor et sitis subito cessantes, urina et fæces inscio ægro redditæ, pessimi sunt ominis et mortem instare portendunt.

SECTIO CADAVERIS.

Inspectis post mortem multis eorum qui hoc morbo correpti sunt corporibus, certiores facti sumus de vi illa insigni, qua graviore ejus forma, intestina præcipue magna adoriri videtur. Hæc enim fere semper constricta, et ulceribus cooperta inveniuntur, dum tunicæ eorum plus solito densatæ, diversa inflammationis stadia, suppurationem scilicet et gangrænam, haud raro manifeste ostendunt. Tubercula etiam conferta et magnitudinis admodum variæ, superficiem eorum internam, coli præsertim occupare, et sedem suam inter tunicam villosam musculosamque figere videntur. Hæc tubercula, variolæ pustulis, ut nonnullis placet scriptoribus, multum similia, nullum primo in se continent liquorem; paulo post autem, cum certam attigerint molem, membrana in superficie recedens, materiam caseo haud absimilem et nonnunquam etiam sanguineam, libere exudere sinit. Huic forsan causæ haud immerito referri potest, materia illa sebacea in quibusdam morbi exemplis tam frequenter cum excrementis dejecta, quam Pringle caseum esse dicit, et ex lacte for-

matam quod ægrotans paulo antea, durante morbo, in nutrimentum assumpserat. Partes quoque intestinorum minorum inferiores inflammatione subactæ, et convolutiones eorum aliæ aliis per membranam jam factam, præter naturam agglutinatæ (ut pleuræ in pneumonia) aliquando observantur.

Vix ullum toto in abdomine viscus, hujus morbi strages penitus effugere videtur. Jecinoris moles plus æquo adaucta, ipsumque durum tuberculisque refertum inventum fuit, dum vesica fellis præter modum distenta, bili nigrescente et vitiato abundabat. Lien amplificatum et putridum sæpe notatum est, et glandulæ quoque mesentericæ induratæ, obstructæ, impeditæ, et pessimo pure refertæ, gangræna quasi affectæ notatæ sunt. In nonnullis etiam omentum prorsus fere deletum est, et reliquiæ ejus parvæ et omnino nigræ, simul cum materia purulenta alba post mortem in abdomine inveniebantur.

MEDENDI RATIO.

Inter varios qui genus humanum vexant morbos, vix ullum quidem reperire possumus, in quo

minor adhibenda sit fides medendi indiciis quam eo de quo nunc agitur. Si enim primum morbi accessum, et varia ejus signa rite perpendamus, astringentium usum a priori dejectiones mucosæ et sanguinolentæ satis evidenter indicare videantur, dum ad opiata confugiendum esse, haud minus fortiter urgeant dolores acerrimi. Hæc autem remedia, initio præsertim morbi, plus injuriæ quam utilitatis secum afferre, inter omnes nunc constat medicos longa experientia de hac re edoctos. Astringentia enim apud nonnullos tympanitidem inducere existimantur, dum opii usus levamen pro tempore solum afferre videtur. Ratio autem Dysenteriæ per totum ejus cursum medendi, duplex esse mihi videtur:

Imprimis, Affectum morbidum intestinorum amovere; et,

Secundo, Debilitati postea, et putredini, obsistere.

Quod ad priorem attinet, remedia qualia sunt, Venæsectio, Emetica, Purgantia, Enemata, Diaphoretica, et Vesicatoria, optima semper habita sunt; dum ad secundam indicationem attingendam Tonica et Diæta nutriens magis inservire videntur.

Si dysenteria homines robustos, et pleno corporis habitu præditos aggrediatur, in quibus vires haud adhuc multum imminutæ sint, et adsit dolor ventriculi et intestinorum acutus atque constans, cum pulsu frequenti, et plus minusve duro, tunc statim sub initio morbi detrahendus est sanguis, ob magnam intestinorum ad inflammationem proclivitatem. Quantitas autem ejus haud ita facile determinari potest. In hac curationis parte, ut in omnibus aliis, non inconsulte, sed conditionem signorum et vires præsertim ægrotantium semper respiciendo agere debemus. Ergo quo frequentius, eo minus sanguinis et spatio temporis longiore interposito, detrahere licebit; nam inflammatio haud secus ac alii morbi graviores non vi subita vincenda est, sed leniter sensimque pacanda. Itaque medico prudenti bene vigilandum est ut sanguinem mittere justo tempore desistat. Sed quoniam febris quæ hunc comitatur morbum, in hisce præsertim regionibus, quam citissime ad statum putridum vergat, summa cura cavere oportebit medicum, ne sanguinem serius mittendo, vitam ægro ex improviso extinguat.

In Dysenteria curanda multum et merito ab omnibus laudatur purgantium usus. Primo mali

accessu, et morbo cursum absolvente, medicus, pro re nata, ad ea confugiat necesse est. Mitiora plerumque sufficiunt, imo etiam aliis anteferenda esse videntur, quia iterato eorum usu forsan opus erit, ob inflammationem quæ plerumque morbum comitatur. Cathartica mitiora quæ sæpius adhibentur, sunt Sulphas et Phosphas Sodæ, Sulphas Magnesiæ, Oleum Ricini, Cassia Senna, Rheum palmatum, et Submurias Hydrargyri. Si autem cathartica jam enumerata parum valeant ad exinanitionem fæcum induratarum efficiendum, tunc ad fortiora recurrendum est, qualia sunt pulvis radicis Convolvuli Jalapæ cum Submuriate Hydrargyri conjunctus, et varia alia, quæ dosibus idoneis adhibeantur oportet. Hæc quidem remedia raro aut nunquam ægro levamen afferent, nisi prius scybalæ prorsus dejiciantur; quibus autem expulsis, intestinorum spasmis cito sæpe succurritur. In India, tum Orientali tum Occidentali, Submurias Hydrargyri, et alia ex hoc metallo præparata, summo cum beneficio persæpe administrantur. Submurias autem dosibus granorum decem cum Opio conjunctis, et decubitus hora sumendis, omnibus aliis anteferendum esse videtur. Dum hoc interne exhibetur, perutile quoque erit abdomen

Unguento Hydrargyri infricare, usque dum glandulæ salivales in actionem cientur levem. Hydrargyrum ita administratum effectus maxime optandos plerumque præstabit. Nonnunquam adeo irritabilis est ventriculus, ut cathartica vomitu rejiciantur. Ad hoc levandum quando occurrit signum, aromaticum quodvis gratum medicamento adjectum, embrocatio opiata scrobiculo cordis admota, et haustus ex aqua Supercarbonatis Sodæ, maxime utilia invenientur.

Sub initio præsertim morbi perutilis est vomitio ut bene depleatur ventriculus, et ad hoc indicium consequendum optime inserviunt Ipecacuanha et Tartris Antimonii. Virtutes autem propriæ quas nonnulli medici, huic medicaminum classi in Dysenteriæ curatione attribuerunt, mihi videntur non ex aliqua vomitum ciendi potestate pendere, sed solummodo ex vi alvum solvendi, halitumque cutis eliciendi, et hoc sub respectu, purgantium effectum admodum juvant. Sed quocunque modo actio eorum felix producitur, nequaquam sunt sine discrimine utenda. Tartris enim Antimonii, in regionibus præsertim calidis, ubi corpus laxum redditur, et tanta adest ad putredinem proclivitas, emeticum nimis vehemens

est ægris, morbo et temperamento jam fractis; in regionibus vero temperatis frigidisque, et habitu corporis pleno, satis tuto adhiberi potest. Ipecacuanha, vicibus partitis, et dosibus granorum trium vel quatuor pro re nata iteratis, ad ventriculum repletum exinaniendum et intestinorum canalem exonerandum, remedium utilissimum olim habebatur.

Permagnum in hoc morbo auxilium secum afferre videntur enemata, quoniam non solum intestina evacuant, sed etiam fovent et emolliunt, doloremque leniunt. Tenesmum quoque et tormina compescunt. Nihilominus ad intestina purganda, nullo modo opinor fidem hisce solis habendam esse: oleosa et mucilaginosa, decoctum scilicet lini amylive, pullorum gallinaceorum jusculum, et hujusmodi alia, præ cæteris administranda sunt.

Inflammationis signis et pyrexiæ subactis, magnopere confert opium ad quædam levanda mala, et summo cum beneficio cum enematibus administratur. Hoc modo intestinorum irritabilitas hebetatur, et tormina pro maxima parte supprimuntur.

Usus balnei tepidi, ineunte præsertim morbo,

† C

et fomentorum calidorum, parvæ et frequenter repetitæ Ipecacuanhæ doses, Pulvis Jacobi, et Vitrum Antimonii, plurimum celebrantur. Hæc remedia effectu suo diaphoretico tormina superant, et ad spasmum intestinorum sublevandum, ideoque vires purgantium augendum multum valent. Eodem consilio vesicatoria quoque usui fuerunt. Quando tenesmus perstat, et post purgantium et opii usum proprium violenter urget, rectum exulceratum esse concludere licet. Ad hoc leniendum, enema emolliens cum opio injiciatur oportet.

Quando magna adest debilitas, et ægri vires morbo diu perstante multum fractæ, ad usum liberum Cinchonæ officinalis et vini rubri, alvo prius bene purgata, confugiendum est. Cum res ita sese habuerint, astringentia, ut Catechu, Kino, Aqua Calcis lacte commista, Opium, et cætera, necessaria esse possunt. Hæc in stadiis morbi provectioribus, in quibus summa debilitas morbum plerumque comitatur, cum maximo beneficio adhibita sunt.

Genus diætæ in dysenteria summam attentionem sibi vindicare videtur, et conditioni signorum, ægrotantis temperamento, et morbi epide-

mice grassantis naturæ, semper aptari debet. Morbi proclivitate ad debilitatem non magna, sed viscerum affectu gravi, cum beneficio præscribi possunt jusculum ovinum, cum oryza et sero lactis, fructus maturi, qualia sunt poma, citri aurantii fructus recentes, et cæteri. Potus sit Aqua hordeacea acidula, decoctum hordei cum tamarindis, et alia hujusmodi. Sed omnia de hac re præcepta futilia admodum et inepta reperientur, nisi simul summa mundities servetur, et fæces omnes, sordesque omnigenæ, per totum morbi decursum ex cubiculo ægri removeantur. Frigus et humiditas sedulo evitandæ sunt, et oportet ægrum sese vestibus laneis induere, non solum perstante sed sublato morbo.

FINIS.